



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 15. Mandata utrique Legato in Franciam , & Belgium misso a Pontifice  
data.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1556.

§. XV.

*Mandata utriusque Legato in Franciam, & Belgium misso a Pontifice data.*

Pallav. i.e.  
Sleid. comm.  
l. 26. hoc anno

Ceterum hisce duobus Legatis eadem ferme mandata dabantur; injunctum enim erat illis, ut abrogatis hisce induciis Cæsarem, ac Franciæ Regem ad firmam, perpetuamque pacem induceant, hancque in rem Pontificis operam utriusque Principi offerrent, simulque pollicerentur, quod Papa ad promovendam tantorum Principum gloriam, nec non procurandam ditionum suarum securitatem æquas sinceri amici partes integre expleturus esset. Præter hæc tamen mandata, quæ utriusque Legato erant communia, Cardinalis Caraffa secreto ea non nisi ore tenus Regi Christianissimo exponere jubebatur, quod Henricus ad rescindendas hasce inducias, necnon ad firmandum fœdus a Cardinale Lotharingio conciliatum, crebrisque sollicitationibus, ac amplis muneribus impetratum justitiæ legibus obstringeretur. Utrumque hoc mandatum Legatus ex Pontificis jussu a suo Fratre accipiebat, & quidem illud, quod utriusque Legato fuerat datum, Romæ ad acta referebatur, secundum



tum vero, quod palam facere erat pro- **Sæcul. XVI.**  
 hibitum, nequaquam tabulis inferebatur: **A.C. 1556.**  
 quamvis idipsum postea inter accusa-  
 tionum capita, ob quæ Caraffa sub Pau-  
 li IV. successore fuerat condemnatus, re-  
 censeretur: eidem enim criminis datum,  
 quod absque Patrui sui jussu Galliarum  
 Regem eo induxisset, ut hic Italiam in-  
 festis armis devastaret.

### §. XVI.

#### *Papa in Columnenses vehementer in- dignatus.*

Priusquam Legati sese itineri accin- **Thuan. l. 17.**  
 gerent, Pontifex in publico Purpu- **Pallav. l. 13.**  
 ratorum Senatu in Columnenses vehe- **l. 17. n. 3.**  
 menter insurgebat, eosque velut impios  
 traducens, quod eorum Majores semper  
 Sacræ Sedi infesti fuissent, ostendere  
 nitebatur, speciatim vero declamabat in  
 Ascanium eo tempore Neapoli capti-  
 vum, qui Clementem VII. olim in arce  
 oppugnaverat, & cum Hispanis urbem  
 diripuerat. His præmissis in Marcum  
 Antonium Ascanii fratrem accerrime  
 invehebatur, eoquod hic paternis vesti-  
 giis insistens scelerate grassandi princi-  
 pium ab ipso parente fecerit, eumque  
 illo impietatis modo spoliaverit, quo  
 nunc sacrilega, & detestanda in Pon-  
 tificis, ac Sacræ Sedis perniciem con-  
 silia agitet: his motus Papa ipsum bene-

A a 4 ficiis